



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Mavri Monasterium, antiquitus Cella Leopardi, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

Is erat, quo hæc scripsi tempore belua verius aut faginatus porcus quam homo, nec visu facilis nec dictu affabilis ulli.

Unlingenium ex nobiolium.

Est & monialium Franciscanarum elegans cœnobiolum in eodem ferè tractu paululum supra Bussium montem & arcem, Unlingenium dictum, in ejusdem nominis pago situm. Id anno Christi 1420. à Domino Walthero ab Ellerbach, Equite aurato, inchoatum est, cui postea benefecerunt Dominus Andreas, Comes Solimontanus, qui obiit anno 1511. sororemq; habuit ejus monialium congregationis gubernatricem Magdalenam, quæ anno Christi 1513. cum alia quadam Solimontana, Margareta, Domini Eberhardi Comitis illegitima filia, peste deceffit: & Dominus Wilhelmus, Dapifer Waldburgius, Reverendissimi Episcopi & Cardinalis Augustani Domini Othonis pater, quem ejus loci sorores alterum fundatorem cœnobioli sui appellare non dubitant. Præsidet ibi hoc adhuc Jubilæo honesta Domina Ottilia Vogelmajerina, Memmingensis, electa anno 1527.

Mauris münster/ oppidum & cœnobiolum.

MAVRI MONASTERIUM, antiquitus Cella Leobardi, cœnobiolum Benedictini instituti vetustissimum ac amplissimum, in ejusdem nominis oppido quatuor milliaribus ab Argentina, versus montana Vosagi, dimidio vero milliari à Tabernis Alfaticis in nobili solo situm, à Beato & Sancto viro Leobardo, oratorium & auditorium illic sibi ac discipulis suis primum construente, in honorem Principum Apostolorum Petri ac Pauli, sanctiq; Episcopi Martini inceptum ac inauguratum est anno Domini 583. sub illustrissimo Francorum in Aufrasia Rege Childeberto, Clodovæi primi Gallorum Regis ad Christum conversi filio, qui totam Marchiam Aquilejensem liberalissimus fundator ac dotator, fratribus Deo hoc ipso loco sub præscripto & regula D. Benedicti vera pietate servituris, perpetuis temporibus possidendam tradidit, quæ donatio postea ab omnibus Christianissimis Regibus Francorum, datis pulcherrimis diplomatis, ratificata & confirmata est. Abbatum hujus amplissimi cœnobii catalogus, etsi mancus, talis tamen à me ex veteribus scri-

scriptis ac diplomatibus confutus est, adjuvante me in hoc labore loci Abbate, viro docto & bono.

1. *Beatus Leobardus*, Eremita, discipulus *D. Benedicti Cassini*. Abbatis in Cassino, Campaniæ monasterio, primus ferè in Alfatia discipulis collectis studia pietatis prælegens, cellæ suæ Leobardinae primus Abbas fuisse legitur, sed quàm diu præfuerit, aut quis ei in scholæ hujus gubernatione successerit, ignoratur.

2. *Maurus* vero, Abbas, *S. Pirminii*, Meldensis Episcopi in Senonensi provincia discipulus (à quo hoc cœnobium postea Mauri monasterium appellatum est) scholæ huic & monasticæ congregationi præfuit anno Domini 724. temporibus Theoderici Francorum Regis, à quo ipse confirmationem omnium bonorum, à felicitis memoriæ Childeberto, glorioso Francorum Rege ac primo cellæ Leopardinæ fundatore traditorum impetravit anno 5. regni Theoderici, quam hoc loco de verbo ad verbum adjicere volui.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Theodericus divina favente clementia Rex Francorum viro illustri Luthfrido, Alemannorum duci. Si petitionibus Deo servientium (quæ ad eorum quietem & tranquillitatem pertinent) libenter præstamus atque ad effectum perducimus, regiam consuetudinem exercemus, & ad mercedem vel stabilitatem regni nostri pertinere confidimus. Ideo notum esse volumus tam futuris quàm presentibus, qualiter Venerabilis *Maurus*, Abbas de monasterio Domini **LEOBARDI**, quondam Abbatis, in honore sanctorum Apostolorum Petri & Pauli & sancti Martini, peculiaris patroni nostri, constructo, clementiæ regni nostri suggestit, quid antececessori suo **Domino LEOBARDO**, quondam Abbati, qui ipsum monasterium suo opere à novo fundamento ædificasse noscitur, inclytæ memoriæ parens noster **Childebertus**, quondam Rex, opportunitatem ipsius monasterii, terram illam quam de deserto ipse ad excolendum vel commanendum præoccupaverat, per loca prænominata de ponticulo ad **Fuenheim** usque ad publicam stratam Tabernensem, ac deinde ad stratam pagi vel oppiduli Marlejenensem, hinc terminum de

Pp 3

fonte

fonte cisternato cum adiacentibus suis usq; ad Gunfium rivum: indeq; ad montem Cubernum per fraxinetum, ad locum, qui vocatur Aschowa, & sic per fluvium Sornam usq; ad Crucem Petrinam, tum demum ad Mauri rivum, pro futura mercede eisdem concessisset, ut nullus ibidem campos facere nec porcos faginare nec materiam succidere nec ipsius fines penitus irrumpere præsumeret, sed hoc ipsi monasterio omni tempore concessum esse deberet, & quicquid intra vel extra præscriptos terminos in quacunq; provincia vel pago ipse vel aliquis Regum prædecessorum ejus tradidisset, seu successorum quilibet potens vel vilis persona memorato loco Abbati ejusq; successoribus pro animæ suæ salute tradidisset, nullo contradicente aut resistente libere atq; licenter possidere liceret. Unde ipsam præceptionem memorati Principis seu divæ recordationis Theodoberti, Clotharii, Dagoberti, Sigeberti, itemq; Dagoberti, quondam Regum, nobis ad confirmationem ostendit in præsentem relegendam, sed pro firmitatis studio nostrum sibi expetiit ex hoc ipso in eodem monasterio, vel circa ejus terminos, omniaq; ad id

Ratio liberalitatis collocatae in monachos.

pertinentia confirmare præceptum. Cujus petitionem pro Dei intuitu vel mercedis nostræ augmento benigne suscipientes, ita nos confirmasse & in omnibus præstitisse regia consuetudine cognoscite. Præcipimus enim, ut, quicquid per inspectas supradictorum Regum præceptiones ad ipsum monasterium longe vel prope noscitur concessum fuisse, per hanc auctoritatem nostram ipsi monasterio vel memorato MAVRO Abbati suisq; successoribus omni tempore in Dei nomine, & ipsum privilegium nostris & futuris temporibus stabile, Deo auxiliante, omni-

Mundiburdium, molem gubernationis & provinciarum tuitionis vocat.

modis conservetur. Similiter petiit, ut eum cum omni familia rebusq; monasterii sui longe vel prope constitutis sub nostro mundiburdio & defensione reciperemus: quod nos pro mercedis nostræ augmentis ita & præstitisse, cognovisse & confirmasse. Quapropter per præsens decernimus ac jubemus præceptum, ut neque vos neq; juniores vestri seu successores, nullaq; omnino, cujuscunque sit potentia, persona ipsum Abbatem neque monachum neque certe homines suos injuriari nec condemnare nec

nec ei intra vel extra monasterium rem irrationalem facere penitus, neque de rebus ad se pertinentibus quippiam auferre praesumat, sed liceat ei suisq; omnibus sub immunitatis titulo & nostro mundiburdio vel defensione cum omnibus rebus suis & monasterii sui secundum normam patrum Domini Benedicti & Domini Columbani quietos residere atque securos, quo potius ipsam congregationem sanctam melius delectet pro stabilitate regni nostri misericordiam Domini die noctuq; crebrius exorare. *Officium monachorum.*
 Data Metis in coenobio S. Arnolphi, ejusdem loci Episcopi, quod est constitutum in suburbio, sub die Kalend. Maji anno Dominicæ Incarnationis DCC. XXIII. indict. III. anno vero regni Domini Theodorici V.

Ego Grimaldus Cancellarius recognovi.

Post Abbatem Maurum desiderantur aliqui Abbates, quorum nomina interciderunt.

3. *Celsus* vero Abbas praefuit anno 828. Is post primam & miserabilem sui coenobii exustionem, chartarum & librorum reparator extitit curiosus & providus: aliud enim de eo extat nihil. Sub ejus gubernatione Ludovicus Imperator, cognomento Pius, conventum Principum & comitia Argentinæ celebrans, Drogoni fratri suo, Archiepiscopo Metensi, dono dedit plenam jurisdictionem hujus coenobii, quod ille honorare & novis ornamentis illustrare volens, ex urbe Mediomatricum duo ejus loci Episcoporum, Sanctorum Coelestis & Auctoris, corpora solenni pompa eò aveli & afferri curavit, quæ miraculis illic claruisse leguntur. Post Celsum hunc Abbatem iterum ingens hiatus est. Abbatum enim (qui ei successerunt) per 150. annos nomina acres ex omni memoria hominum in oblivionem venerunt. *S. Coelestis & Auctoris.*

4. *Landelochus* vixit & praefuit anno 982. quo Volmarus quidam cum Bertha uxore insignia quaedam bona Abbati & monasticae congregationi S. Martini in Mauri monasterio legavit. Facta est hæc donatio in oppido vicino, Saroensi pago dicto, veteri Comitiorum loco, Sarborch nuncupato, imperante Othone II. *Sarbrugg.*

5. *Godi-*

5. *Godinus* successit *Landeloch* : sed nihil de eo amplius in fastis relatum invenitur.

6. *Richwinus* præfuit anno Domini 1073. regnante *Henrico IV.* Imp. & anno 1115. quo *Richwinus* quidam Præpositus monialium vicinum cœnobium, montis *Sinden* appellacione notum, fundavit.

Montis
Sinden
Cœnob.

6. *Adelo* anno 1123. ad Abbatia clavum sedisse legitur.

8. *Meinhardus* præfuit anno 1137. Vixit adhuc anno 1143. *Innocentio II.* pontificante, *Conrado vero III.* imperante. Hunc reperio tricesimum fuisse hujus cœnobia Abbatem.

9. *Anshelmus* præfedit anno Domini 1146.

10. *Conradus* præfuit anno 1163. tempore *Friderici Barroffæ*.

11. *Wernherus* præfuit anno 1170. item anno 1169. His enim annis sigillata ab eo diplomata habentur.

12. *Garnerius* *Wernhero* successit, sed quo anno incertum. Impetravit privilegium ab *Alexandro III.* Papa anno 1179.

13. *Otto* Abbas præfuit anno Domini 1224. Extant enim epistolæ *Conradi* Episcopi *Metensis* & *Spirensis* eo anno ad eum scriptæ.

Sindels-
berg.

14. *Rudolphus* præfuisse invenitur anno 1249. quo fecit permutationem bonorum quorundam cum sanctimonialibus in *Sindonis* monte, vulgo *Sindelsperg*.

15. *Godefridus* successit *Rudolpho*. Obiit 8. Nonarum Augusti anno 1153.

16. *Joannes* successit *Godefrido*. Præfuit annis 35. ad annum usque 1288. quo obiit quarto Nonarum Martii.

17. *Conradus* successit *Joanni*, sed quamdiu ad gubernaculum sederit, in literas non est relatum.

18. *Bernardus* præfedit monasterio annis Domini 1301. item 1323.

19. *Joannes* præfuit annis Domini 1330. & 1348.

20. *Waltravus*, Baro & Dominus de *Geroldsegg* (quæ familia ad *Vofagum* habitans, sepulcra & reconditoria sua habet in hoc cœnobia) præfedit annis Domini 1363. item 1376.

21. *Oswal-*

21. *Oswaldus de Winterthur*, patria Argentinensis, præfuit annis Christianæ salutis 1382. & 1392. quo obiit.
22. *Arnoldus Oswaldo* succedens præfuit anno 1395. ut ex literarum Datis colligitur.
23. *Joannes de Thanstadt* præfedit annis Domini 1408. & sequente, ut ex literis colligi potest.
24. *Conradus de Steinbach* præfedit annis Domini 1415. & 1431.
25. *Gaspar Stollhofer* præfuit annis Domini 1437. & 1457.
26. *Adamus Speckhofer* præfuit sub anno Domini 1459.
27. *Reinhardus Knoblochius*, Argentinensis, vir nobilis majorumq; imaginibus conspicuus, præfuit sub annis Christi 1464. & 1478.
28. *Theodoricus de Kurneck*, nobilis Hercinius, eligitur in Abbatem anno Christianæ salutis 1486. Præfuit annis 31. Obiit anno 1517. Legitur fuisse LIII. Abbas in Mauri monasterio.
29. *Henricus de Witten*, Trevir, ex monasterio S. Mariæ ad Martyres, extra muros Treverenses sito, accitus, eligitur anno gratiæ 1517. Præfuit per biennium tantum.
30. *Franciscus de Lesura*, ex monasterio Treverensi Mariæ ad Martyres accersitus, & ex governatore S. Quirini Præposituræ eligitur in Abbatem anno Domini 1519. Præfuit quinque annis. Obiit anno 1524. in die S. Marci.
31. *Gaspar Riegkberus* vel *Rudigerus*, ut *Paulus Voltzius* eum appellat, ex oppido Villingensi natus, postulatur ex Etho-
nis monasterio (ubi cellæ antea præfectus fuerat) in Abbatem Mauri monasterii anno 1524. Vidit sequente anno concremari à feditionis rusticis coenobium iuum misere, quod ipse pulchre iterum instauravit diligenti œconomia inspectione & gubernatione. Præfedit adhuc hoc anno 1550. vir doctus & annalium sui monasterii in agricolarum hoc civili bello amissorum diligens reparator: qui & hæc de suo & alia multa alibi sequutura de vicinis quibusdam monasteriis mihi benigniter communicavit. In cujus gratiam tale lusi de hujus monasterii origine election:

*Mauri hæc sacra domus, Leobardi Abbatis in isto
 Temporibus priscis Cella vocata loco,
 Regibus à claris Gallorum est condita, Petri
 Quando Gregorius in sede sedebat orans.
 Qui magni vulgo nomen laudesq; meretur:
 Hoc nos sic equidem pagina prisca docet.
 Si queris, quæ sint istorum nomina regum,
 Adverte, & vere id me recitante scies.
 Theodobertus erat primus, Clotharius alter,
 At Dagonbertus tertius ille fuit.
 Qui variis posuit donaria plurima templis,
 Præcipueq; fuit religionis amans.
 Quartus erat Mediomatricum ad prisca sepultus
 Mœnia Sigbertus sub pede, Quinte, tuo.
 Quintus Theodericus amans pietatis, a vito
 Huic dedit & sacro plurima dona lari.
 Istorum meritis pietatis sacra vigeant
 Hic studia, & quicquid tota sophia docet,
 Sub doctis Abbatibus & rectoribus, isto
 Quorum corpora sunt condita sacra loco.
 Indigno donec fato gens rustica nuper
 In Dominos movit bella cruenta suos.
 Tum Gaspare Rudigero me hæc regna tenente,
 Vastata est iris tristibus ista domus.
 Pulsus ego externas procul hinc crudeliter oras
 Evasi furias vix, mala turba, tuas.
 At fractis illis, iterum ad mea tecta cucurri,
 Atq; inflauravi numine cuncta novo.
 Tu pater alme, Deus, cœli qui templa gubernas,
 A simili posthac protege clade tuos.*

Mons S.
 Quinti
 prope
 Metin,
 ad cuius
 pedem est
 Cenobium
 S. Marti-
 ni, funda-
 tum à Si-
 geberto
 Austrasie
 Rege illic
 sepulto.

MICHAELIS CAMPVS, Germanice Michelsfeld/claris-
 simum Benedictinorum generis nobilitate conspicuorum
 cenobium, circa Pegnesum amnem prope Awerbachium Pala-
 tinorum in Nariscis oppidum situm, quod uno eodem constan-
 tissimo